



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quantum discrimen immineat pastoribus, qui veritatem Christi prædicare negligunt. xcviij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

tatem tuam Grámaticam, & illa difficiliora quibusdam exponere. Quam ré ita molestè suscepimus, ac sumus vehementer aspernati, vt ea quæ prius dicta fuerunt, in gemitum & tristitiam verteremus: quia in vno ore cum Iouis laudibus, Christi laudes esse non possunt. Et quã graue nefandumq; sit episcopis canere, quod nec laico religioso conueniat. Et quamuis dilectissimus filius noster Candidus presbyter postmodũ veniens, hac de re subtiliter requisitus negauerit, atq; vos conatus fuerit excusare: de nostro tamen adhuc animo non recessit: quia quantum execrabile est hoc de sacerdote enarrari, tanto vtrũ ita necesse sit districta & veraci oportet satisfactione cognosci. Vnde si post hoc euidenter hæc quæ ad nos perlata sunt falsa esse claruerint, neq; vos nugis & secularibus literis studere cõstiterit, & Deo nostro gratias agamus, qui cor vestrum maculari blasphemis nefandorum laudibus non permisit, & de concedendis quæ poscitis securi iam & sine aliqua dubitatione tractemus.

Quantum discrimen imminet pastoribus qui veritatem Christi prædicare negligunt. Cap. XCVIII.

VAe enim erit nobis, qui huius ministerij onus susceptũ habemus, si veritatẽ saluatoris nostri Iesu Christi, quã Apostoli prædicauerunt, prædicare neglexerimus. Vt erit nobis, si filitio veritatẽ opprefferimus, qui erogare nũmulariis iubemur, id est, Christianos populos imbue-
re & docere. Quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si sermonis eius veritatẽ cõfundimur prædicare? Quid erit de nobis, quum de commissis nobis animabus, & de officio suscepto rationem iustus iudex Christus Deus noster districtam exegerit?

Quod episcopum oporteat sine intermissione Ecclesiam suam docere & amare. Cap. XCIX.

EPiscopũ verò oportet opportunè & importunè atque sine intermissione Ecclesiã suã docere, eãq; prudẽter regere & amare, vt à vitiis se absteineat, vt salutẽ cõsequi possit æternam. Et illa cum tanta reuerentia eius doctrinam debet suscipere, eũq; amare & diligere, vt legatum Dei & præconem veritatis, quia testante veritate, quodcunque ligauerit super terram, erit ligatum & in cœlo & quodcunque soluerit super terram, erit solutum & in cœlis.

*Ex decre.
Marci pa-
pe Aegy-
ptiorũ epi-
scopis mis-
sis. cap. 3.*

*Cap. Eua-
risti pape
5. omni-
bus per
Aegyptũ
fratribus
missum.*